IN THESES

PRO CATHEDRA

TEXTUS HIPPOCRATIS ET HISTORIAE MEDICINAE

ANTONII RACIOPPI

M. ET CH. D.

COMMENTARIA





NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI BARONE
M. DCCC. XLIV.

Haud aliter Trojanae acies, aciesque Latinae
Concurrunt; haeret pede pes, densusque viro vir.

AENEID.

Οκοσοισι δε εν πυρετοισι τα ϋρα ανατεταραγμενα, οιον υποζυγιου, τουτεοισι κεφαλαλγιαι η παρεισιν, η παρεσονται.

Quibus (in febribus) *urinae perturbatae*, *quales sunt jumentorum*, *his dolor capitis vel adest*, *vel aderit.*

Atque hoc primum notandum volo, nempe quod in codice graeco illud adjiciatur *εν πυρετοισι*, in Latina vero versione desit, nobis utriusque lectionem persequentibus, utriusque intellectum explanare studebimus.

Docet itaque antiquus magister, quibus urinae sunt perturbatae, quales jumentorum iis dolorem capitis vel adesse, vel futurum; quomodo hoc fiat enarat Galenus, fit namque ait Galenus hoc simptoma a spiritu flatuoso et ex

nimia caliditate, qui spiritus flatuosus nimiae caliditati commixtus caput oppetit, impletque, ibique dolorem excitat, quanam vero ratione, hunc spiritum flatuosum nimiae caliditati commixtum caput oppetat, facile est intellectu, nam quae sunt natura vaporosa, tenuiia, aerea, ad supernas partes potius deferri, quam ad inferiora corporis loca plane quivis intellexerit, sed ex nimio calore evenit quoque, ipso Galeno docente, ut genae rubeant, oculi gravedine laborent ec. ex quibus liceat conjicere, probabili saltem conjectura, ac non temere caput aegrotanti vel dolere, vel mox futuram cephalalgiam.

Talis vero spiritus flatuosus qui secundum naturam laevior est, leviorem rursus efficit caor ei admixtus, sursumque tendit, tentato capite.

Calor autem iste differt ab eo quem *θερμον εμφυτον calorem innatum* vocavit Hippocrates, eo quippe calore innato vivimus quam saluberrime, cujus ope fiunt coctiones et excretiones humorum culpatae indolis, morbique omnes solvuntur.

Fortasse igitur ille calor est, quem febris ipsa adducit, hoc est calor praeter naturam ex

corde accensus et per totum corpus effusus secundum definitionem febris, quam Galenus tradidit, nam in illo aphorismo *εν πυρετοισι* adjectum.

Itaque si tale hoc fiat in febribus, non abs re erit et considerare, quales sint in hujuscemodi aegrotantibus urinae, idest in illis qui febre laborant. *Τα ουρα αχρωα, ληπτα, υδατωδεα ανυποςασια urinas tenues, decolores, aquosas non subsidentes* ubique damnavit Hippocrates, praesertim in acutis, utpote coctionis expertes. *Τα ουρα μελανα· ολετρια urinae nigrae lethales*, modo ex atra bile per venas mota gignantur, nam quae ex calculosis affectionibus, vel haemorrhoidibus vel alia simili de causa fiant funesti non sunt judicii.

Urinae vero crassae et turbatae, quales sunt jumentorum, nec subsidentes, hoc in loco cruditatem humorum indicant, non quidem per calorem nativum subactae, concoctae, quae levem, non interruptam, aequalem subsidentiam demittunt cito, vel quibus *εν τεταρτη* quarta die, vel alia contemplabili *νεφελον ερυθρον φαινεται* rubra nubecula apparet, quae *οξυν, και βεβαιαν κρισιν σημαινει* securam et citam crisin portendunt. Sunt itaque perturbatae, co-

ctionis expertes *ουρα απεπομενα*, et tales factae ex spiritu flatuoso, qui maxime in cruditatibus extricatur, ut videre est in dispeptis, et cruditate ciborum laborantibus ex debilitate facultatis concoctricis. Hujus ergo natura spiritus flatuosi hic notanda, ne confusionem pariat cum spiritu diversae prorsus naturae de quo alibi verba' facit Hippocrates. *Omne quidem non concretum, sive cute, sive carne tegatur cavum est, et impletur sanum quidem spiritu, infirmum vero ichore* de spiritu fortasse vitali, vel animali, intelligit Hippocrates, isque ut docent physiologi totius oeconomiae animalis principium est et substantia *impletur quidem sanum spiritu, infirmum ichore.*

Ichoris vero nomine non utique ut hodie apud nos pravae indolis, et prorsus computrefacti humoris intelligit Hippocrates sed de humore quolibet suam crasin non servante.

Hae vero cruditates sive ut Galenus eas appellat *superfluitates* ex debili concoquentis facultate nascuntur, per cujus virtutem pura ab impuris secernuntur, quae virtus et ventriculo et vasis omnibus inest, cum vero haec virtus debilis fuerit, tunc omnium confusio et vasorum impuritas adest, *η της κοιλιης αρρωστια*

των ολων συγχυσις και αγγιων ακαθαρσια, ubi vero ex ventriculi vel vasorum imbecillitate omnium adest confusio et impuritas, tunc adesse quoque cacochymiam necesse est. Ex quibus facile intelligitur tunc quoque dolorem capitis adesse, vel brevi fore ex ventriculo nempe et vasis cacochymia impletis, cujus signa sunt urinae turbatae, quales jumentorum, sed perquirendum cur cerebrum potius tentatur, quam alia corporis pars, ea nempe ratione, quam supra exposuimus, sed et altera addenda ratio, magna nempe sanguinis copia ad caput vehitur, atque maxime illud prae ceteris male afficitur, praecipue cum sit tenerrimae structurae organum, ac tenuissimis vasculis, et exilissimis instructum, per quae vascula sanguis nimium crassus atque impurus permeare impos, illuc obstructionem et dolorem efficit, addenda quoque ratio est communionis et sympathiae quae inter ventriculum et cerebrum intercedit, docente ipso Hippocrate *τα κοινα και τα εγγις πρωτα και μαλιςα, κακουςαι*, communia, et proximiora omnium maxime male afficiuntur.

Tales vero sanguini inesse superfluitates ostendit urina crassa et turbata, *οιον υποζυγιου* reddita, eaque sic abundat ut renes ex sanguine

totam trahere non valent, multaque ejus pars remanet in vasis arteriarum et venarum, et cerebrum laedit.

Potest autem haec humorum cruditas per febrim mota et in alia loca delata, illis decumbere, praecipue si aliqua corporis pars imbecillior sit, sic observare est longas febres diu perduratas, tandem defervescere et desinere, sed dolor in aliqua parte superstes, ostendit vel recidivam facere febrem, vel ea parte qua humor defluit abscessus fieri ut Hippocrates docet, *quae relinquuntur in morbis, recidivam facere solent.*

Verum in proposito aphorismo nobis commentando non meminit febrem desinere, neque materiem turgere ὀργᾷν quod signum quippe esset materiae concoctae et subactae, quam natura huc illuc movet et excernere parat per loca convenientia.

Denique cum Hippocrates multa scripsit aphoristice, hoc est brevi sermone multa comprehendens, quaedam saepe in medio ponit, ipso docente Galeno, uti exempla peculiaria, ut ex his magis elucescat veritas praecepti generici, tunc quum turbatae appareant urinae et crassae, poterit ex his edoctus medicus et

dolorem capitis et alium similiter praedicere dolorem, praesertim si ad aliquam corporis partem peculiarem novit superfluitates deferri et illi decumbere. Eadem namque est causa materialis et effectrix hujusmodi affectionis, at ex antea expositis rationibus caput tentari prae caeteris statuere debemus. Illud vero praeceptum, *quibus urinae perturbatae* ec: exemplum esse genericae veritatis facile crediderim, nam in alio aphorismo ait Hippocrates: *Num dolores pectoris et in quibusdam aliis partibus multum in se differant perdiscendum*, quasi illud dixisset dolores nempe pectoris, capitis, jecinoris et aliarum partium non multum differre inter se, eadem nempe causa est, hinc non absque ratione in turbulentis cum febre urinis posse medicum et dolorem capitis et alium praedicere, sed ex signis qua humor crudus transfluit poterit praenoscere, ex signis cuique corporis nostri parti propriis, ex. gr. si genae rubent, oculi, totaque facies humore est suffusa, si auditus gravis est ec. dolorem in capite fieri rationi consonum est, cum tales extiterint urinae, si hypochondria tumentia elata citra inflammationem, in jecinore vel splene materiam decumbere, ibique dolorem faccre noscamus oportet.

Hinc quod de capitis dolore dixit Hippocrates in proposito aphorismo potest et de alio quopiam dolore intelligi.

Num vero quod de dolore capitis dixit Hippocrates, de inflammatione quoque intelligendum sit, dubius haereo. Sane potest talis humor in tenerrima vascula vel cerebri vel alterius partis ita impactus haerere ut obstructionem et inflammationem facere possit, praecipue quia talis humor crassus per febrim magis movetur, et exagitatur, et in vasa immeabilis remanet et impactus. Quaedam nempe sunt inflammationes internae, quae ex solo dolore conjectari licet ne quidem ex pulsu, docente Boerhaavio.

Non abs re erit tandem, cum hic de urinis sermo est, aliqua eruditionis gratia referre, sed quae tamen Hippocratem recte nos debere intelligere monent, et ad praxin medicam utiliora sunt. Illum aphorismum *οκοσοισι εν τῳ ουρῳ τα ψαμμοδεα υφιςαται, τουτεαςιν η κυςτις λιθια quibus in urina sedimentum sabulosum subsidet, iis vesica calculo laborat*, genuinum esse negat Galenus, nam inquit, manifestae falsitatis arguitur, quum iis quibus in urina sedimentum sabulosum subsidet, non vesicam tantummodo calculo laborare, sed et renes et ure-

teres quoque. At Beveroviccius rectam tradidit illius aphorismi intelligentiam, ille auctor nempe docuit illud *εν τω ουρω* intelligi debere non de urina emicta, quae in matella subsidere cernitur, sed de urina quae etiamnum est in vesica, ibique sedimentum sabulosum deponit antequam fuerit emissa per urethram.

Salmasius tota suae eruditionis mole contra hanc Beveroviccii interpretationem invehitur, docetque illud *υφιςταται subsidere* intelligendum tantummodo de urinis quae e vesica emissis sedimentum deponant, sed Beveroviccius multa gravitate suam tuetur sententiam adversus Salmasium. Egregius namque iste vir utpote doctissimus, non erat sane rei medicae probe gnarus, in aphorismo vero proposito *urinae turbatae quales jumentorum sunt etc.* illae sunt quidem quae jam emissae in matula medico in conspectum veniunt; ut de illis diagnosim facere possit medicus si dolor capitis jam adsit, vel prognosim si adfuturus.

Haec habui quae dicerem in commentando proposito aphorismo. Quae mihi olim tradidisti vobis docentibus, hisce tabulis excribere conatus sum. O utinam vestrorum praeceptorum plene memor fuissem, praeclarissimi in

arte viri, illius nempe artis, quam, μαχρην longam vocavit Hippocrates. Exedrae enim cui digne insidetis vere sunt Epidauriae columnae, vestraque praecepta longe celebriora Gnidiis Oraculis.

Atqui Tu inter illos praestantissimos viros, ceu sydus omnigena eruditione praefulges, Praesul auspicatissime, studiorum Exarcha ter optime, Minervae Neapolitanae custos fautor alme. Me tuae humanitati commendo. Sis felix o bonusque, diuque intersis populo Academico, serusque in coelum redeas.

Neapoli, in regio studiorum archigymnasio, sexto Kalendas Junias A. R. S. millesimo octingentesimo quadragesimo quarto.

Antonius Racioppi.

De sanguinis circuitu. Harveo an Italis debetur tantae inventionis gloria? Quo saeculo innotuit, quinam auctores extra dubitationis aleam ponere per experimenta sategerunt?

Ubique fere et semper disputatum inter viros doctos cujusque novi inventi, non utilitatis expertis quisnam ejus inventor primum praestiterit, utilioris inventi inquam, nam de inutilibus illud adprime quadrat. *Nisi utile est quod facimus stulta est gloria.*

Harvejo quidem qui primus novit sanguinem circumferri de corde per arterias, et de his denuo per venas ad cor redire communi omnium consensu gloria tribuenda.

Verum num antiquis sanguinis circulatio innòtesceret plurimi dubitarunt, in placitis Hippocratis et Platonis, certe quidem sunt quaedam sententiae, quae nobis ostendunt non omnino illis praetervisam circulationem sanguinis, atque comparatione quadam utebatur Plaet ut hanc doctrinam explanaret, ita ut qui

sequerentur naturae studiosi per quam facillime potuissent eam functionem rimari, perquirere, investigare, et ad evidentiam perducere; hinc Plato hac usus comparatione docebat. *Sicut flumina et torrentes aquarum per totam terrarum superficiem et sinus interiores fluunt et moventur, haud aliter sanguis fluit et movetur per vasa in animantibus.* Quo quid evidentius, ut cuique qui hanc rem non perfunctorie meditaretur, innotesceret sanguinis per vasa circulatio.

Multa quidem recentioribus detecta, sed veteres ea non penitus ignorasse, facile quivis noverit. Plurimae quoque apud Hippocratem et Galenum passim occurrunt sententiae, quae demonstrant eos non ex toto praeterfugisse circulationem humorum. Certe sanguinem et humores moveri per singulas corporis partes eos didicisse, et inde phlegmones, congestionis, obstructionis explicationem dedisse extra aleam dubitationis est. *Facta vero sanguinis valida incuneatione σφηνωσεως tempestivum non est remediis eam resolvere* ait Galenus.

Quomodo vero haec fieret sanguinis incuneatio, si sanguinem moveri probe gnarus non esset Galenus. Sed recentiores ajunt veteres illa

explicare per fluxionem et humorum decubitum in parte inflammata, qua humores aggeruntur, ibique phlegmone suboriatur.

Praeterea memoriae quoque traditum est Nemesium Episcopum Emissae, qui librum medio aevo scripsit de *Natura hominis* probe circulationem novisse, quaedam ejus excerpta refert Freindius, in quibus non obscure de sanguinis circulatione disseritur. Sed Freindius patriae nimium studiosus in ea manet opinione, Harvejo scilicet primo sanguinis circulationem innotuisse.

Facili vero experimento Harvejus detegit, aliisque ostendit sanguinis circulationem.

Filo, nudata arteria, eam alligavit, et hinc cernere erat illius arteriae partem quae a ligatura ad cor extendebatur sanguine turgere aggesto, alteram vero arteriae portionem, quae a ligatura ad partes tendit, iisque prospicit sanguine depleri. Atque iterum experimento facto venam nudavit, ac filo aequali modo eam vinciendo partem quae ad cor versus perreptabat depleri, alteram vero sanguine turgere, et impleri novit clare.

Hanc doctrinam de circulatione sanguinis agnovit circa saeculum sextum decimum Har-

vejus. Initio quamplurimi eam impugnarunt, multisque futilibus argumentis, ut fieri solet, refragarunt, inter quos Primirosius primum obtinet locum, sed rei evidentiae necesse erat acquiescere, multisque subinde strenuis propugnatoribus certa Harvejana inventio facta est eique nemo potest palmam praeripere.

Institutae hinc fuere observationes microscopicae per Levvenoekchium in animalibus, cui sanguinis frigidior inest temperatura, ut ranis, piscibus etc. et oculis obversabatur sanguinem per vasa moveri, hoc est ex corde per arterias in universum corpus effundi, per venas deinde ad cor redire.

Neapoli, in Regio studiorum Archigymnasio sexto Kalendas Junias. Millesimo octingentesimo quadragesimo quarto.

Antonius Racioppi.

MONITUM

Errata, quae calamo festinante irrepserunt, non notantur, neque corriguntur, ut animadvertat Lector, scripturam hanc nonnisi tumultuariam fuisse, cui limae opificium temporis angustia negavit.